



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

5. An cambium dictum con la Ricorsa, de quo dictum est suprà in Res. 1.
differat ab illo, quod vulgo dicitur Con le continuationi? Ex p. 1. tr. 8. res.
4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

§.1. **A**liqui negant, sed immerito: nam rationes excusantes supradictum cambium inter mercatores, excusant etiam illud & inter personas priuatas, dummodo habeant aliam pecuniam apud se: utrobique enim soluitur cambium per instorem, qui vicem gerit camporis, & camparij & apud ipsum dicitur pecunia virtualiter, & credit esse, & sic vtriusque munus conuenienter exercet. Ceteras rationes inuenies apud Nald. in *summ. verb. Cambium*, n. 6. & seq. qui in terminis latè docet hanc sententiam.

2. Sed, an supradictæ personæ possint continuare tale cambium, dubitat Filliucius *tom. 1. tract. 35. part. 2. c. 10. n. 471*, quia non possunt, vt mercatores, esse moraliter certi tantundem lucri ipsis cessaturum ex mora: quia, videlicet, eandem pecuniā ad cambia exponerent. Sed Naldus *vbi supra*, docet etiam recambia in supradictis personis esse licita: & opinio Filliucij procederet, si recambium esset licitum, solum ratione lucri cessantis; & non, quia est nouus contractus emptionis, & venditionis, vt videbis *infra in Refol. 5.*

Quæ hic est
infra Ref. 6.

RESOL. IV.

An Agens, seu Respondens in supradicto cambio debeat esse Mercator, seu persona diues? Ex p. 1. tr. 8. Ref. 3.

§.1. **R**espondeo negatiuè: potest enim esse qualibet persona, licet sit pauperrima, dummodo substantialia supradicti cambij efficiat, litterasque mittat, & alia necessaria faciat. Ita Anton. Saluatore in *tract. de continuat. cambiorum*, p. 5. n. 25.

RESOL. V.

An cambium dictum con la Ricorsa, de quo dictum est supra in Ref. 1. differat ab illo, quod vulgo dicitur con le continuationi? Ex p. 1. tr. 8. Ref. 4.

§.1. **R**espondeo, non differre substantialiter, sed solum accidentaliter: nam cambium continuationum reducitur ad duas personas; cambium verò recursu ad tres, nempe, qui dat pecunias, qui illas recipit, & exactor, seu institor, qui in nundinis soluit, & exigit pecunias: in ceteris verò conueniunt; nam recambia, seu cabilia continuationis, non sunt nisi cambia reiterata, seu nouæ emptiones, & venditiones; sub iisdem tamen iustitiæ regulis, quæ necessariae sunt pro cambio recursu. Et ita docet Antonius Saluatore *tr. de contin. camb. in pralud. n. 4. & 5.* & Filliucius *to. 2. tr. 35. p. 2. c. 11. n. 489.*

RESOL. VI.

An dicta continuationes, seu recambia, sint licita ratione tantum lucri cessantis, vel damni emergentis? Ex p. 1. tr. 8. Ref. 5.

Sup. hoc sup.
in Ref. 1. §.
vlt. lege eius
destrinam.

§.1. **A**firmatiuè respondet Lessius *lib. 2. c. 23. dub. 9. n. 82.* & post illum Salas *tr. de camb. dub. 22. n. 1.* Filliucius *tom. 2. tract. 35. part. 2. c. 10. n. 471.* & ideò asserunt, quod campor non potest pacisci cum campario, vt si elapso termino non soluerit, teneatur eandem summam accipere ad recambium, & illud continuare; nisi certò constet, tantum lucri illum ex illa summa amissurum, quantum ex recambio perciperet, & camparium nolle aliter compensare lucrum cessans, vel damnum emergens.

2. Sed his non obstantibus, putat Scottia in *Bull. Pont. epir. 107. theor. 289.* cambium esse nouam emptionem, & venditionem vnde ipse sic ait, [Recambium est

iteratum cambium, procedens ab antecedenti, cum eodem debitore, aucta forte ex lucro præcedenti; quod, nisi vitietur aliunde, est pariter licitum: ita vt etiam ex prioris cambij lucro, possit lucrum in cambio, tam prima, quam aliis vicibus iuste, & legitime capiri, quia semper est emptio, & venditio scutorum de marca, tanquā mercis, dique non debet interesse alterius interesse; sed lucrum capitalis, seu fortis, conuersio iam priori lucro superioris cambij in partem fortis, non secus ac reliqua fors lucri facta ex cambiis realibus factis cum aliis campariis. Cum igitur recambium nihil aliud sit, quam nouum reale cambium alterius summæ pecuniarum, alterius lucri diuersi temporis, virtute nouarum litterarum, pretio legitime composito, & debitis circumstantiis; vt licitum fuit primum eisdem circumstantiis factum, ita licitum erit hoc secundum, quod recambium appellamus, siue fiat cum recurſu, siue absque ea, v. g. medio proprio Procuratore, certum est, semper in recambio extingui realiter per acceptationem litterarum, & solutionem realem, seu virtuale cambium præcedens, siue fiat cum noua persona, vt purā si creditor alias cambij litteras acceptet a debitore sui debitoris, siue cum eodem priore debitore; vnde etiam posteriores nouæ litteræ cambij, priores extingunt. Ita Scottia, *vbi supra*. Quod autem cambium sit emptio, & venditio, docet etiam Bonifignius *tr. de camb. c. 7. n. 23.* Scaccia *de commer. §. 1. q. 4. n. 21.* & alij penes ipsum: & sic supradictæ continuationes, siue cambia, non solum iustificatur ratione lucri cessantis; sed etiam ratione emptionis, & venditionis. Sed aliqua dicenda sunt circa prouisiones supradicti cambij.

Sup. lib. 1.
not. præ.
ta.

RESOL. VII.

In quam quantitate sumenda sunt prouisiones cambiorum? Ex p. 1. tr. 8. Ref. 6.

§.1. **E**x inueterata, & immemoriali inter mercatores consuetudine pro prouisione cambij, debetur tertia pars scuti pro singulis centenariis scutis, secundum pecuniam, de qua soluitur cambium, seu efficitur assignatio. Ita Bonifignius *de cambiis*, c. 7. Romuald. *Coli de Cambiis*, c. 21. Scaccia *de commer. §. 3. gloss. 3. num. 12.* Scottia in *Bull. Pont. epir. 107. theor. 291.* Filliucius *to. 2. tract. 33. p. 2. c. 10. n. 475.* & alij penes ipsos.

RESOL. VIII.

An dicta quantitas tertia partis scuti pro centenariis sit iusta, etiam in prouisionibus, quæ summuntur in recambiis, & continuationibus? Ex p. 1. tr. 8. Ref. 7.

§.1. **H**æc questio est multum difficilis, & hic opus, hic labor est. Aliqui affirmatiuè respondent: quia in omnibus mundi nundinis recipitur integra tertia pars vnus scuti aurei pro centenariis, etiam pro prouisionibus recambiorum, & continuationum. Ergo dictæ prouisiones sic integræ receptæ sunt iustæ. Probo consequentiam: nam, vt bene aduertit Bonifignius *tr. de camb. c. 7. n. 23.* de iustitia, vel iniustitia quantitatis prouisionum standum est communi arbitrio mercatorum; sed, vt dictum est, communiter omnes mercatores ex inueterata consuetudine recipiunt prouisiones, modo supradicto. Ergo minimè de eorum iustitia dubitandum est.

2. Sed non desunt contrarij sentientes: nā prouisiones debentur pro labore, vt notat in specie Romuald. *Coli tr. de camb. c. 21.* at in recambiis, & continuationibus, non est idem labor, vt in cambiis realibus: ergo, & c. & ideò Malder. in *2. 2. tr. 8. c. 4. dub. 7.* putat, quod in recambiis prouisiones vix iustè integræ accipiuntur, eò quod facilius, & securius eadē cabilia continuantur, quā noua inestur.

3. Posset